



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinque, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

6. An peccatum veniale possit fieri mortale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

deranda sunt illius verba, nam cum inquit ali- quando actionem esse dignam morte, aut ex- cludere a regno, aut esse execrandam, & abomi- nabilem, vel similia, satis indicat esse prohibi- tam sub mortali. ad Romanos 1. Qui talia agunt, digni sunt morte. ad Galat. 5. Qui talia agunt, re- gnum Dei non consequentur, ad Ephesios 5. Eze- chiel. 18. Cum vero vtitur sacra Scriptura mitio- ribus verbis, signum est esse venialia, & cum stul- tiloquio, & scurrilitate Paulus supra loquens so- lum dicit ad rem non pertinere, & Iacobus docet pec- catum non consummaturum non generare mortem, & hoc idem considerandum est in præceptis iure hu- mano latis. Nam primo est advertendum, an ip- sa verba sint ex his, quæ habent vim obligandi, ex quibus etiam colligenda est intentio legisla- toris. Consideranda est etiam poena qua sancit- ur lex, &c. Quod si nullum sit scriptum, aut præ- ceptum quod hic, & nunc vere obliget, neque consuetudo, vel traditio, quæ illi æquipol- leat, ratione naturali est vitandum, nam hæc discernimus bonum à malo, & consequenter grauius à leuiori, & tandem in ferendo hoc iudicio de peccato veniali, vel mortali, adhi- benda est sententia Doctorum, & Patrum in hac materia, quia in re morali plurimum valet autoritas.

XX. Secundo dicitur. Quando nulla est lex, aut sacra Scriptura, ex qua satis colligatur, an sit peccatum mortale, & consideranda est res in qua peccatum versatur, an ad Dei, vel proximi chari- tatem seruandam spectet, & grauis sit: nam si- nis præcepti charitas est, 1. ad Timothei. nam ex hoc sine recte colligitur peccati grauitas. Item ad- uertendum est, an aliqua virtus ex his, quæ ho- mini maxime necessariae sunt, grauius lædatur illo actu, ita Dicitur Thomas 1. 2. questione octingesi- ma octaua, articulo secundo. Durandus 2. dist. 42. que- stione sexta. Quod autem dicimus de charitate proximi, intelligendum est de charitate propria, maximè si peccatum afferat peccati aliquid no- cumentum, vel in spiritualibus bonis, vel in his, quæ ad conseruationem corporis necessa- ria sunt: nam in aliis fortunæ bonis facilius potest homo cedere iuri suo; quod si ex omnibus modis positus non inuenitur præceptum obli- gans ad mortale, licet sit aliqua deformitas, culpa erit venialis; & hinc sumitur primum ge- nus peccati venialis, quod dicitur ex genere suo; & est illud, cuius malitia ex obiecto de- sumpta, ita est natura sua leuis, vt per se pro- hibita non sit graui præcepto, vt sectione sequenti constabit.

XXI. Tertio dicitur. Si præceptum obligat sub mortali, vterius consideranda est materia, quia licet præceptum ipsum graue sit, tamen leui- ter ab illo desistere perinde est, atque leue præ- ceptum transgredi, & hoc est secundum ge- nus peccati venialis, quod dicitur ex leuitate materiae, quare cum in Scriptura sacra pecca- ta aliqua tanquam mortalia damnantur, intel- ligendum est ex genere non in omnibus in- diuiduis: quæ autem sit materia leuis, vel gra- uis, prudenter pro qualitate rei, vel materiae pen- sandum est. Aduertendum est, id non solum pen- dere ex qualitate, vel quantitate materiae ab- solute considerata, licet id plurimum confe- rat, sed etiam ex cæteris circumstantiis, præfer- tim ex conditione personæ fieri potest vt hæc materia in ordine ad furtum, vel iniuriam ta- lis personæ, sit grauis, quæ per se considerata cen- seretur leuis.

XXII. Quarto si materia, & præceptum graui sint, considerandum est, vtrum consensus hominis

fuerit perfectus, & deliberatus, nam hoc neces- sarium est ad perfectum actum humanum, quæ- lis debet esse peccatum mortale, & hinc oritur tertium genus peccati venialis, quod dicitur ex indeliberatione, & imperfectione, quod diffici- le cognosci potest, quando alia adfunt, quæ ad mortale peccatum sufficiunt: dicimus tamen de hac re in sequentibus. Aduerte quosdam Tho- mistas putasse hoc genus peccati venialis tan- tum contingere in rebus aliis grauib, sed non ita est. Nam in rebus etiam ex genere suo venia- libus, & ex leuitate materiae potest contingere peccatum veniale ex indeliberatione, & in men- dacio & similibus, quod satis indicat Caietanus quest. 89. artic. 8. & ratio est, quia in his actibus est sufficiens libertas ad peccandum venialiter: ergo licet obiectum sit leue, actus tamen habet ali- quam malitiam.

3. Genus peccati venialis

SECTIO VI.

An peccatum veniale possit fieri mortale.

Dicitur Thomas 1. 2. quest. 88. quatuor vltimis articulis tractat hanc questionem. Potest autem habere tres sensus, primus est, vtrum veniale propter multiplicationem efficiat mortale? Secundus, an actus, qui est ex specie sua venialis, ex accidenti possit esse peccatum mortale, vel contra. Tertius, an idem actus numero possit esse veniale peccatum, & mortale simul, vel suc- cessiuè.

Prima propositio pro primo sensu. Peccatum veniale non sit mortale propter solius actus multiplicationem, vnde neque multa venialia æquiualent mortali. Est certa, & communis. Ratio est, quia veniale, & mortale differunt genere, & non solum tanquam magis, & minus graue in eadem specie: ergo, &c. Confirmatur primo, quia per multa etiam venialia non constituitur finis vltimus in creatura. Confirmatur secundo, quia eodem præcepto prohibentur decem men- dacia, quæ vnium: sed totum illud præceptum non est de re ad salutem necessaria: ergo trans- gressio eius, siue vna, siue multiplex, non est mortalis; quæ ratio solum procedit in veniali- bus ex genere. Confirmatur tertio, quia nullus numerus venialium signari certa ratione potest, qui sufficiens sit ad mortale constituen- dum: ergo si aliquis numerus nobis ignotus es- set sufficiens, in quocumque peccato veniali ex- poneremus nos periculo peccandi mortaliter, & hoc ipso mortaliter peccaremus. Dices eo- dem argumento probaretur quodlibet veniale ratione periculi esse mortale, quia disponit ad mortale. Respondeo non esse simile, quia licet veniale sit dispositio, tamen est remota, quæ per se non est moralis occasio peccandi; vnde si so- lus numerus peccatorum venialium constitue- ret mortale, de quocumque veniali esset timen- dum, an expleret illum numerum. Tandem con- firmatur ex illo Prot. 1. 24. Septies in die cadit ius- sus, vbi numerus certus pro incerto ponitur, & tamen tribuitur iusto.

Contra hanc veritatem docuit glossa cap. tria sunt, de penitentia, dist. 1. propter verba Augustini epistola centesima sexta ad Iulianum, vbi de veniali- bus loquens ait, si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, sicut vnium grande peccatum. Tamen pie exponenda sunt ista, videlicet posse multa peccata venialia ita nocere dispositiuè, quia sunt

III.

occa-

occafio committendi peccata mortalia, quod af-
ferit D. Thomas articulo 4. ad 1. & eodem modo est
interpretandus Augustinus, tractatu 11. in Ioan. &
serm. 88. de tempore, & 4. de Sanctis, quomodo dixit
etiam Sapiens, qui spernit modica, paulatim, decidet;
Ecclesiast. 19.

IV.

Alij, vt refert Victoria relectione de charitate, licet
non verbis, tamen re ipsa consentiunt cum illa
glossa, nam dicunt peccatum veniale aliquid
charitatis tollere, ex quo fit, vt paulatim possit
homo propter multiplicationem venialium, ad
eum statum pertinere, vt si vnum vel leuissi-
mum committat, omnino à charitate excidat:
tamen addunt hoc non esse, quia multa venialia
efficient mortale: sed quia illud vltimum; quod
alias leue esset, propter detrimentum charita-
tis, fit mortale: quæ sententia non minus est fal-
sa, quam præcedens, & non minus exponit se ho-
mo periculo peccandi mortaliter in quodlibet
actu; nam quis scit an habeat charitatem ita re-
missam? Deinde licet peccatum mortale ideo
destruat habitum charitatis, quia habet de-
formitatem illi contrariam, non tamen defor-
mitatem contrahit, quia destruit charitatem:
non ergo ex illo detrimento tanquam ex prima
radice recte dicunt peccatum illud venia-
le esse mortale. Tandem hæc sententia suppo-
nit aliam falsam, scilicet veniale peccatum re-
mittere charitatem, quæ suo loco impugnamus.

V.

Sed contra. Nam si quis vnum, & alterum leue
furtum committat, & sæpe id faciat, tandem
peccabit mortaliter in illis actibus, alias posset
furari magnam quantitatem sine peccato mor-
tali. Respondeo, si quis habeat voluntatem fu-
randi sæpius illo modo, illa voluntas est pecca-
tum mortale, atque adeo actus omnis, vt ab illa
procedit, & ferè ita peccant omnes ij, qui habent
voluntatem furandi, & consuetudinem in illo
modo: si tamen non adfit vnà voluntas, neque
formalis, neque virtualis, contingere poterit
furari magnam quantitatem sine peccato mor-
tali, quamuis retentio omnium partium sit
mortalis, non quia ex venialibus fit factum
mortale, sed quia est ibi nouus actus, vel noua o-
missio non restituendi cadens in materiam gra-
uem. Vide Vegam lib. 4. cap. 11. & Sorum 3. de iusti-
tia q. 3. art. 3.

VI.

Sed vrgebit quis: ergo si quis habet volunta-
tem formalem, vel virtuales omittendi partem
aliquam leuem diuini officij, aut Missæ, aut earum
precum, quas Deo vouit, erit in statu mortalis.
Respondeo de his latius in propriis materiis esse
agendum: solum certum est nunc, peccata venia-
lia non posse efficere mortale, nonnunquam au-
tem materiam aliquam integram, quæ in multis
actibus diuersis non faceret singula mortalia, per
vnum actum intenta faceret mortale, quoniam
tota illa materia facit vnum obiectum graue cõ-
tra vnum præceptum, quod ex suo genere ad
mortale obligat, vt contingit in furto. Quando
vero illæ singulæ partes non faciunt vnum, quod
vni præcepto sit contrarium, actus non erit mor-
talis ex vi illius obiecti, sed habebit quasi mali-
tiam multorum venialium, & ita contingit in
casibus illis partialibus, præter illud de voto ha-
beat maximam difficultatem.

VII.
2. Propositio
communis.

Secunda propositio pro secundo sensu. Nul-
lum est peccatum mortale, quod ex accidenti
non possit fieri veniale. Est certa, & communis,
nam ex indeliberatione actus, omnia ex leuitate
autem materia; ferè omnia ex genere possunt in
indiuiduo esse venialia.

VIII.
3. Propositio
bipartita.

Tertia propositio. Peccatum veniale ex suo
genere numquam fit mortale, nisi addatur cir-

cunstantia speciem mutans, aut quidam amor
directè charitati contrarius. Ratio prioris par-
tis est, quia hoc differt veniale ex genere suo à
mortali ex genere, quod illius malitiæ ex natura,
& vi sua nunquam est coniuncta deformitas
mortalis. Confirmatur, nam si intra propriam
speciem posset hoc veniale fieri mortale; iam
quando tale non esset, non esset ex defectu suæ
speciei, sed quia non habet totam illam grauita-
tem speciei, quam haberet veniale ex leuitate
materie, vel ex imperfectione actus.

IX.

Dices illo modo nullum est veniale ex genere,
quia nullum est peccatum, quod ex vi speciei suæ
non pugnet cum aliqua virtute: nulla au-
tem est virtus, quæ per se interdum non obliget
ad mortale. Confirmatur, nam peccatum potest
destruere virtutem contrariam omnino, hoc
autem non videtur fieri sine mortali. Propter
hæc dicitur aliqui nullum esse veniale ex genere
nisi illud, quod per se est indifferens, & sine ho-
nesto fine fit, sed hoc est contra communem sen-
tentiam, & non necessarium ad soluendas diffi-
cultates.

X.

Dico ergo primò, posse virtutem aliquam ha-
bere materiam adeo leuem, & ad conseruationem
nem charitatis non adeo necessariam, vt num-
quam propria suâ virtute ad mortale obliget,
nisi accedat obligatio superioris virtutis, vt Eu-
trapelia.

XI.

Secundo dico eidem virtuti multa vitia spe-
cie diuersa posse esse contraria, ex quibus aliquod
esse poterit in sua specie adeo leue, vt neque pos-
sit omnino, neque grauius virtutem contrariam
destruere, & ideo nunquam mortale fit, specie
sua. Vltima pars conclusionis posita est propter
D. Thomam dicentem peccatum veniale inter-
dum fieri mortale, si quis in obiecto eius finem
vltimum constituat, quod est omnino certum,
quomodo intelligi potest illud Exechielis 10. Ni-
hil iniquius, quam amare pecuniam, & Iacobi 2. Qui
dilige mundum, non est charitas in eo. Quomodo etiam
Augustinus ait summam esse perueritatem frui
vtendis, & ratio est, quia tenemur solum Deum
diligere, vt vltimum finem.

XII.

Sed obsecrum est in hac sententia D. Thomæ,
quid sit constituere finem vltimum in obiecto
venialis peccati. Dicunt quidam id esse peccare
venialiter solum propter peccare. Ita Gerson de
vita spirituali lectione 3. Sed non recte, nullus enim
peccat, qui non sub aliqua ratione boni velit
peccare, & ex illo motiuo attendenda est graui-
tas: vnde si quis vellet ipsum peccare formaliter,
vt contemneret Deum, esset quidem pecca-
tum mortale: si vero peccaret vt peccando ha-
beret materiam confessionis, non ideo grauius
peccaret.

XIII.

Alij dicunt constituere finem vltimum esse
maxime diligere creaturam, Deum autem re-
missius, ita Adrianus quodlibeto 7. art. 2. & 4. mate-
ria de penitentia, & Petrus Soto tractatu de penitentia
lectione 14. & 15. videtur fauere Augustinus 1. de Ci-
uitate cap. 10. indicat enim interdum peccare ho-
minem mortaliter amando temporalia, licet illa
Christo non præferat, & Hieronym. lib. 1. contra Io-
uianum, & habetur 32. d. quest. 4. cap. origo. indicat
amore vxoris propter maximam intentionem
fieri peccatum mortale: & ratio est, quia ob hanc
intentionem fieri potest, vt homo magis diligit
obiectum illud, quam ipsum Deum. Dices illud
esse verum intentione, non appetitione. Sed con-
tra, nam ex illa maiori intentione sequitur illa
oppositio maior: nam si intensius diligit creatu-
ram, quam Deum, firmius adhæret per amorem
creaturæ, quam Deo: ergo qui ita amat ita est
dispo-

dispositus, ut si occurrat occasio deserendi vel Deum, vel creaturam potius derelinquat Deum, quam creaturam.

XIV. Sed hæc sententia mihi nullo modo probatur, & falso nititur fundamento. teneri nos magis intensius diligere Deum, quam cetera omnia, quod falsum esse in materia de charitate, & penitentia latius ostendo. Nunc breuiter ratio est, quia intensio per se neque cadit, neque potest cadere sub præcepto, quia nullo modo potest homini consistere qua intentione, & quo conatu amet. Deinde intensio actus non efficit actum malum per se, unde si rationes dictæ sententiæ vrgerent, etiam probarent non tantum actum venialem ex obiecto, sed etiam indifferentem, imo & bonum propter intentionem posse fieri mortale peccatum. Præterea sequitur omnes, qui ardentiter aliquid amant, exponere se periculo peccandi mortaliter: quod est absurdum: præterea vel ista intensio, quæ facit veniale mortale, est determinata, vel non, sed non respectu esse consideranda, si primum sit, v.g. vt decem, vel vt octo: ergo quicumque amat illud obiectum intensius, vt octo, peccat mortaliter: ergo etiam si habeat charitatem Dei vt centum, & creaturam illam amet, vt octo, peccabit mortaliter, quod euidenter est falsum, quia ille nullo modo diligit creaturam plusquam Deum, vel ille gradus intensiōnis non est certus, & ideo debet sumi ex comparatione ad dilectionem Dei, ita vt tunc solum, & semper sit mortale, quando in eodem subiecto excessus in intensiōnem charitatis. Et hoc primo est contra rationem, quia peccatum per se ex propriis, obiecto scilicet, & circumstantiis, habet propriam deformitatem: illa autem intensio per se non est mala, & remissio amoris Dei per se non est mala: ergo quod ille coniunguntur in eodem, non possunt efficere actum illum peccatum mortale, alias quicumque remisse amaret Deum, deberet mortaliter timere in se peccatum mortale, & peccatores in quocumque amore creaturæ peccaret mortaliter, quia intensius amant creaturam, quam Deum, quem non amant, nam tenemur Deum magis non solum intensius, sed etiam appetitiue diligere, vt communiter docent Theologi cum Augustino 21. de Ciuitate cap. 26. Neque verum est per intensiōnem actus semper firmius adherere voluntatem si amores non sint eiusdem rationis, vt in proposito contingit, nam verus Dei amor ex charitate ex vi suæ essentiæ, licet sit remissus, firmius coniungit voluntatem cum suo obiecto quam quilibet amor intensus creaturæ, quod intelligendum est per se loquendo, nam per accidens ex fragilitate amatoris potest interdum inferior amator vincere. Ex quibus colligitur per solam actus intensiōnem nunquam veniale peccatum fieri mortale, per se loquendo: per accidens vero interdum posse si quis aduerneret inde sibi oriri mortalem quandam occasiōnem transgrediendi aliquod diuinum præceptum, tunc enim esset peccatum mortale non propter intensiōnem, sed propter periculum.

XV. Dicendum est ergo tunc aliquem constituere finem vltimum in obiecto peccati venialis, quando ex affectu ad illum paratus est alia præcepta grauiora transgredi, quod contingere posse videtur dupliciter. Primo, si quis directe, & expresse id animo concipiat, quod directe est contra charitatem Dei, & hoc sensu procedit secunda pars conclusionis. Secundo modo potest contingere implicite tantum, vt cum voluntate aliquis in actu exercito transgreditur graue præceptum, vt si otiose loquatur, v.g. vel cum huic

Suarez in primam secundæ D. Thomæ.

periculo voluntarie se exponit, vt dictum est: tamen in eo casu illa transgressio præcepti iam est circumstantia mutans speciem, vide Syluest. verbo Peccatum. §. 3.

Sed tunc quæret aliquis an in huiusmodi euentu ita augeatur malitia ex illo obiecto desumpta, vt intra propriam speciē putanda sit grauis, & mortalis. Respondeo ita videri cum Almaino tractatu 1. moralium capite 12. itaque qui ex nimio amore ludendi furatur, non solum furando, sed etiam ita amando ludum, peccat: quia ille amor non intensius tantum, sed etiam appetitiue est nimius: neque fatisfaceret confessioni dicendo se fuisse furatum, nisi addendo ex nimio amore ludendi, quod sentit Caiet. q. 88. in 2a. art. 4. & in disputatione sequenti, agentes de omisiōne à nobis diligenter exponitur.

Propositio quarta. Circa tertium sensum quæuis actus numero posse esse successiue veniale, & mortale peccatum. Conclusio de exteriori actu est per se manifesta: de interiori probato. Quia idem actus potest esse in principio indeliberatus, & si ratio magis aduertat, & voluntas in eodem actu magis perseueret, & consentiat, erit peccatum mortale: & potest contra in principio actus esse deliberatus, postea vero fieri potest, vt homo passione aliqua, vt ira, &c. paulatim accendatur, ita vt impediatur vsus perfectus rationis. Præterea idem patet in actu veniali ex leuitate materiæ: nam sicut potest idem actus successiue intendi, & remitti, ita ad maiorem, vel minorem materiam extendi. Idem patet, si in principio actus sit forte otiosus ex materia indifferente: & perseuerante eodem actu accedat grauis prohibitio homine aduertente, & illam considerante. Et ratio est, quia deformitas mortalis licet sit de essentia mortalis peccati, tamen accidit ipsi actui voluntatis, & ideo potest interdum esse & abesse ipso actu mutato tantum accidentaliter: indicat tamen D. Thomas 1. 2. questione 88. articulo quarto, illum actum manere eundem in esse naturæ non in esse moris, quia magna mutatio moralis in illo facta est, quod pertinet ad quæstionem de nomine, nam res per se patet.

Dixi tamen in conclusione successiue, quia simul non videtur, per se loquendo, eundem actum posse esse veniale, & mortale peccatum, quia istæ denominationes includunt oppositionem, & repugnantiam: licet negandum non videatur posse eundem actum simul habere malitias morales veniales speciē diuersas, & ita fieri potest, vt vni earum sit communis malitia mortalis, & non alteri: vt cum quis mentitur contra iustitiam, ibi est malitia contra veritatem, quæ non est mortalis, & est contra iustitiam, quæ est mortalis, & idem est notandum in similibus.

SECTIO VII.

An in omni subiecto in quo potest esse mortale, possit esse veniale.

TRACTAT hoc D. Thomas 1. 2. quæst. 89. articulo 2. & 4. Aduertendum est duobus modis intelligi posse aliquem carere potestate peccandi. Primo propter interiorem bonam dispositionem diuinæ gratiæ sibi inhaerentem. Secundo modo propter extrinsecum Dei fauorem, & protectionem. De posteriori hoc modo non est quæstio: nam certum est posse Deum aliquem in gratia ita confirmare, vt mortaliter peccare non possit: tamen possit venialiter, & contra potest re-

K k lin.

XVI.

XVII.

4. Propositio.

XVIII. Exponitur propositio præcedens.

I.

Propositio duplex sensus quæst. & expeditur alter eorum.